

longè *florentior*, beneficium ejus omnium *florentissimum*, agite ne ce-
 lemus *florentem* ipsius gratiam, & merita passionis, quæ singulis in
 nos momentis *revirescunt*. Ne simus *equi & muli*, ut ne postomide
 Diabolorum æternâ capistremur: agnoscamus vocem Domini, nec
 nobis laudem agnitionis *boves & tauri* præripiant: *asellus* novit præ-
 sepem heri sui, & nos ad dulcissima Salvatoris nostri vocamina ob-
 surdescemus? *sessorem* ille *pullus* adhuc recepit cœlestem equitem,
 & nos excutiemus, suavissimum ephippium dejiciemus, & stimulo
 Spiritûs S. recalcitrabimus? Sedecies jam centum decurrerunt anni,
 ex quibus dictum est de duodecim Apostolis, *Et ipsi nihil horum intel-
 lexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quæ
 dicebantur à Christo* præceptore suo, cui tamen Dominus eruditam
 linguam dederat, ut numquam ullus hominum sic fuisset loquutus,
 Sed abunde & copiosè post resurrectionem ipse ipsis explanavit, Spi-
 ritus ipsos S. in omnem veritatem adduxit, ipsi quoq; alijs prædicave-
 runt usq; ad martyrium, inter medios *cruciatûs & lapidantium iclûs*,
 de *cruce*, ex *craticulâ & sartagine*, nec absq; prodigijs signorum ac pro-
 batissimis miraculis. Confirmârunt postea & repetierunt *Ignatius
 & Irenæus, Cyprianus & Laurentius, Ambrosius & Augustinus, Hieronymus
 & Chrysostomus, Gregorius & Basilius, Bernhardus & Anselmus*, ac,
 quod Constantiensibus & Tridentinis doleat, *Hussus & Lutherus*.
 Quei ergo nos hodie ignorabimus, tot *commentariis & explicationibus*
 illuminati, tot *meditationibus & homiliis, tot sermonibus & cantionibus*
 viaticati? Non in vere tantùm nobis cantillant *alaudæ & luscinia*, non
 in æstate stridunt *apes & cicadæ*, non in vineis tantùm *fringilla & fice-
 dula*, sed in ipsâ tribulationum ac persecutionum hieme & tempe-
 state eadem nobis ingeminant atq; inculcant *oscines de suggestis cano-
 ræ*. Habemus *autumnum* pressuræ, *hiemem* torturæ, *ver* sudoris,
æstatem laboris: quia per *totum annum* passus est, cujus *tota vita* fuit
 passio ac martyrium. *Nulla dies* Apelli *sine lineâ*, *nulla Christo sine
 ærumnâ*, cujus complementum in his terris fuit passio illa solennis,